



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmanstorff ad
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatae Concionis Moralis In
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

Penzinger, Sebastian Heinrich

Solisbaci, 1698

Disc. XXXVI. Adjutorium fidelium. Non est negotium arduum, necessitas
tanta, in qua non assistat, & adjuvet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51763)

DISCURSUS XXXVI.

Velocissima Auxiliatrix Christianorum necessitatibus MARIA invigilat.

Servo suo Jeremiæ, quem sibi præ cæteris in Prophetam elegerat, arcana mysteria ostendit Dominus, & interrogavit eum dicens? *Quid tu vides Jeremiâ?* 1. cap. accepit autem pro responso: *Virgam vigilantem ego video.* Non virgæ, sed homini vigilare proprium est; quem ergo per hanc virgam vigilantem Prophetæ Dominus monstrare voluit? Non aliam certè nisi benedictam semper Virginem Mariam, quam in Unigeniti Filii sui Matrem Deus prævidit, ut Filium hominis pareret, virga enim vigilans, Maria Virgo Dei Mater est, vigilantissima illa *Virga de Radice Jesse*, quæ humano generi vitam pro fructu attulit, de Christianorum salute maximè sollicita, auxiliari festinat, & devotorum sibi fidelium necessitatibus pia Mater indefessa invigilat. Auxiliatricem promptissimam SS. Patres deprædicent. *In omni periculo potes salutem obtinere ab ipsâ Virgine gloriosâ, in omni opere virtutis potes eam habere in Adjutricem, & idèd dicit ipsa Eccles. 24. In me omnis spes vita & virtutis.* docet angelicè S. Thomas de Aquino. Opusculo. 8. *Te solam O Maria! pro sanctâ Ecclesiâ sollicitam præ omnibus Sanctis scimus, qua impetras inducias transgressoribus, ut renuntient suis erroribus.* scribit S. Augustinus, lib. 6. de Civit. Dei cap. 4. *Quid tanta Maria potentia prodesset nobis, si ipsa nihil curaret de nobis, propter hoc, charissimi! sciamus indubitanter, & pro hoc gratias agamus incessanter, quia sicut ipsa apud Deum omnibus sanctis est potentior, ita quoque pro nobis apud Deum, omnibus sanctis est sollicitior.* seraphicè discurret S. Bonaventura, in Spec. B. V. Lect. 6. *Non est revera finis tua magnitudinis, non*

Exordium.

SS. Patres.

S. Thomas.

S. Augustinus.

S. Bonaventura.

kk

est

est numerus tuorum beneficiorum, nullus enim est, qui saluus fiat, nisi per te; nemo est, qui liberetur à malis, nisi per te, ò purissima; nemo est, cui donum concedatur, nisi per te, ò castissima; nemo est, cuius misereatur gratia, nisi per te, ò honestissima; quis post tuum filium, ita humani generis curam geris, sicut tu? Quis ita nos defendit in nostris afflictionibus? Qui tam citò praeveniens nos ab irruentibus liberat tentationibus? Quis in supplicationibus ad eò pugnat pro peccatoribus? Quis ea, quae corrigi non possunt, ad eò repugnando excusat. repetitis viribus quærit S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus Orat. de Zonâ. B. V. Tribus modis diligit nos Maria, omne bonum nobis desiderando, pro nobis jugiter exorando, tam pro justis, ne cadant, quàm pro peccatoribus, ut resurgant, misericordiã autem & beneficiis ejus pleni sunt cæli & terra, nec est, qui se abscondat à calore ejus, quæ nos tripliciter diligit; in voto videlicet, in verbo, & in beneficio. informat Richardus à S. Laurentio lib. 4. de Laud. B. V. Plenam oculis Mariam dicit vigilantissimam pro nobis, S. Epiphanius ferm. de Laud. B. V. & concludit doctissimus Guilielmus Cancellarius Parisiensis in Cant. cap. 4. Quis tam plenus est oculis, quàm Mater lucis, qui tam aequali curâ & sollicitudine sibi vigilavit, & aliis, quàm Genitrix devotionis. In eam & nos oculos mentis, invocantâ Spiritûs S. gratiã piis Conceptibus meditantes, intendamus.

CONCEPTUS I.

Angeli communiter alati pingi solent, quin etiam in visione cum aliis quatuor representati sunt Ezechieli, ut ipse narrat: Quatuor ala uni. 10. cap. Sex alas in Angelis vidit & Isaias Propheta. Sex ala uni, & sex ala alteri, duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus, & duabus volabant. 6. cap. Certum est, Angelos omnes esse purissimos spiritus, nec corpus, nec pedes habere, nec alas, cur ergo alas jungit pictor? Cur Deus ipse Prophetis alatos apparere Angelos voluit? Ala volatum, volatus autem summam denotat

Confirmatio, (cu De-
ductio.

notat velocitatem, Angeli verò ad serviendum Deo destinati sunt, & ad præstandum homini auxilium in terram mittuntur, scribente Apostolo ad Hebr. cap. 2. *Omnes sunt administratoris spiritus in ministerium missi, eorum, qui hereditatem capiunt salutis.* Et qui sunt illi, qui hereditatem capiunt salutis, nisi Christiani? Alati igitur repræsentantur Angeli, ut intelligamus, eos ad exequenda Dei mandata, non lento gradu procedere, ad præstanda Christianis auxilia, non ordinario festinare cursu, sed velocissimo volatu in subsidia mortalium rapi. Sed an in præstando Christianis auxilio velociorem Angelis creaturam non inuenimus? Reperimus utique nobilissimam creaturarum Dominam, Angelorum Reginam in adjuvando homine ipsis Angelis velociorem, millies alatam, ut miseris mortalibus terrarum undique subveniat. Ita S. Amadæus. Hom. 8. de Laud. Virg. *Maria velocior Cherubim, & in adjuvando homine Angelis est festinantior.* O quam verè magnum Christianorum Auxilium Dei Mater est in orbem terrarum.

CONCEPTUS II.

Mariam actualiter velocem, & festinantem in adjuvando homine ostendit nobis S. Lucas Evangelista. *Exsurgens Maria (inquit) abiit in montana cum festinatione.* 1. cap. Quid hoc? Nonne Maria virginum exemplar domi sese continere, ibidemque orationi ac meditationi vacare assueta fuit? Nonne vagari insolita? Quid ergo tanti momenti evenit, quòd angelicæ verecundiæ Virgo, de piis occupationibus surgens, montana, ne quidem lento ascenderit gradu, sed per ea abiit cum festinatione, velociter currens? A cœlesti Nuntio intellexit humillima Virgo, Elisabeth cognatam suam concepisse filium in senectute suâ, atque partui de die in diem magis appropinquare: *Ecce Elisabeth cognata tua, concepit filium in senectute suâ, & hic mensis est sextus illi.* Ibid. nec latuit virginem, *matres in dolore filios parere;* Gen. 3.

cap. & tristitiam habere mulierem, cum parit, Joan. 16. cap. Ad præstandum itaque in puerperii ærumnis ac doloribus cognatæ auxilium, solitudine spretâ, relictis omnibus exurrexit, & ut benefaciendo Elisabeth, quantoque subveniret, velociter cucurrit, abiit in montana cum festinatione, neque inani effectu, nam Spiritus S. replevit Elisabeth, Joannem in utero matris exultantem. Deus sanctificavit, Zachariæ etiam vinculum linguæ resolvit. O magna Mariæ in homines pietas & misericordia! quæ vix necessitate perspectâ, nobis in auxilium festina succurrit. Præstanter Richardus à S. Victore in caput, 3. Cant. *Invocationibus nostris velocius currit Maria bonitas & affectus, etenim necessitatibus nostris misericorditer præcurrit.* Et iterum Lib. 5. de Laud. B. V. *Necessitates nostras scire non potest, quin non eisdem benigna subveniat.* Assentitur Dionysius Cassius. *Maria in adjutorium nostrum festina est.* Et confirmat Concilium Basiliense. *Quicumque Mariam devotè invocare intendunt, eis, antequam vocem implorent, Maria succurrit.* O festinum Christianorum Auxilium!

CONCEPTUS III.

Pulcherrimam mulierum, electam ex millibus Mariam Virginem Angelus Ephesi ostendit S. Joanni, de quâ ipse in sua Apocalypsi cap. 12. *Mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus.* Quid sibi vult luna sub pedibus Virginis? Pedibus cursus perficitur; velocem quidem cursum sol habet; festinanter quoque stellæ currunt, & planetæ, velocior tamen omnibus currit luna, utpote, quæ cursum suum singulis mensibus perficit, hinc non ineptè Academicus in Firmamento luminari minori, quod præest nocti, lunæ pro lemmate subscript: *Cursu velocior.* Quod in firmamento cœli stellæ sunt, & planetæ, hoc in cœlo æternæ beatitudinis Angeli sunt, & sancti, & sicut cursu suo stellæ & planetæ influunt in sublunaria, ita intercessionum suarum auxilio volantes ange-

Angeli, & currentes sancti, in suos clientes in terrâ benignè influunt adjuvando, verum quidem, quòd pro devotis sibi nonnunquam orare, eisque opem ferre Angeli, & sancti Dei soleant, unica tamen Mariæ Virginis Dei Matris intercessio longè potentior & efficacior est, omnium Angelorum & sanctorum suffragio, ipsa etiam ut vera misericordiæ Mater omnibus Angelis & Sanctis pro misero velocius intercedit, luna ergo sub pedibus Virginis, ut intelligamus, quòd sicut cæteris stellis ac planetis velocius currit, *Cursu velocior*: Sic Maria omnibus Angelis alis protectionis velocius volet, omnibus Sanctis efficaci auxilio festinantius currat, cui proinde Marianus cliens subjunget lemma: *Patrocinando velocior*: Subscribit Richardus de S. Victore in Cant. *Cùm tam Angeli, quàm sancti solliciti sint, & miseris, tam meritis, quàm intercessione subveniant, credendum est, beatam Virginem tantùm in hac posse, ac velle, quantum utraque simul creatura, imò utraq; potentior, & sollicitior judicatur.* In hoc tuum velocissimum Auxilium, quoties affligeris, respice ò Christiane !!

CONCEPTUS IV.

Laudat Scriptura sacra Ruth humilem ancillam de spicis, quas Booz messores reliquerant, adeò sollicitam, ut post messores vadens, usque ad vesperam omnes collegerit, & diligentissimè conquissiverit, curans, ne vel una interiret, & ideo in Booz oculis gratiam invenit. *Vadam* (inquit) *& colligam spicas, quæ fugerint manus metentium.* Ruth. 2. cap. Laudabilis & œconomica sollicitudo: An non ancilla hæc humilis, & sollicita Ruth vera Mariæ Virginis figura fuit? Maria seipsam humilem in suo Cantico ancillam confitetur, quæ gratiam in oculis Domini invenit. *Respexit humilitatem ancillæ suæ.* Lucæ. 1. cap. Sollicita Ruth est, quod idem interpretatur ac *videns*, seu *festinans*, videt enim illa quàm maximè, & optimè videt, Justorum animas velut plenas

kk 3

spicas

Spicas ab Angelis messoribus colligi ad horreum cœlestē, sed videt etiam multos iniquos per sua scelera manus messorum velut spicas subterfugere, & in æterni interitūs discrimine versari; ô quàm festinat illa, ut pœnitentiæ eis tempus impleret, quàm sollicita est, ut saltem ad vesperam horæ mortis colligat ad misericordiam, neque minus videt parcius fortunæ homines velut spicas ab universo orbe miserè derelictos, sed iis velociter subvenire, eorum preces, gratioso auxilio prævenire festinat. Seraphica hæc est observatio S. Bonaventuræ in Spec. B. V. lect. 5. *Gratia Maria colligit ad misericordiam, colligit ad Ecclesiam malos; hoc benè signatum est in gratiâ, quam in colligendis spicis à messoribus derelictis, Ruth invenerat, quando dixit ad Booz: inveni gratiam in oculis Domini mei: Ruth interpretatur videns, vel festinans, & signat beatam Virginem, qua verè videns in contemplatione, & benè festinans fuit in actione; videns etiam nostram miseriam est, & festinans ad impendendam suam misericordiam. Auxilium Christianorum in tempore oportuno.*

CONCEPTUS V.

Ad nuptias Canæ in Galilæa plura verba dixisse Mariæ Virgo non legitur, nisi hæc tria: *Vinum non habent.* Joan. 2. cap. Cur hoc? An forsan ideo, ut se Trinitatis opus esse demonstraret, verborum triade petitionem suam fixit? Vel verò Trinitatis nomine quidquid petitur, obtineri posse, insinuavit? Aut Trinitatis thesauraria, trino verborum numero loqui voluit? Vel in nuptiali lætitiâ, alia loquendi materia non fuit? Respondet doctissimus Fernandez, defectum vini hospitibus nuptiarum sensisse Virginem, & ideo aliud loqui non voluisse, nisi: *Vinum non habent:* ut scirent homines, aliam sibi non incumbere curam, quàm egenis auxilium, indigentibus opem præstare. Tam efficax hoc ejus patrocinium fuit, ut ad ejus instantiam, primum miraculum Christus patriverit, aquam convertendo in vinum. *Hoc fecit initium signo-*

rum *Iesus in Cana Galilae, & manifestavit gloriam suam.* Ibid. Ergone primum suum miraculum, ad primam Matris instantiam, Virginis Filius distulit? Ita sane, ait subtilissimus Abbas Rupertus, fecit id Christus, *ut sciant omnes, Mariam esse Januam caelestis auxilij.* Verum quis hospitem in his nuptiis vino deficiente, Mariam Virginem pro auxilio imploravit? Nemo prorsus: sed ipsa preces indigentium festina praevenit, non enim, ut deprecemur, expectat, quemadmodum apud plurimos in morem abiit, qui etiam rogati denegant, quod ab illis petitur, Maria autem interpellando Dominum, etiam non rogata, Necessitatibus indigentium velociter succurrit. Loquatur in Testimonium S. Bernardinus Senensis. *serm. 9. art. 3. cap. 2. Mater in nuptiis in Cana Galilae interpellat, ac si ad eam cura omnium pertineret, & omnium hominum Advocatam se sentiens, quae pro omnibus creaturis curandarum facta fuerat Virgo Mater, officium Advocationis, & pia Auxiliatricis assumpsit etiam non rogata.* Felix, qui talem meruit habere Auxiliatricem in necessitate.

CONCEPTUS VI.

Quam festina in auxiliando Maria Virgo sit, in Canticis Canticorum teste Richardo infra citato declarare voluit Spiritus sanctus, manuum sponsae encomia canens. *Manus ejus tornatiles.* Cant. 5. cap. Ebur per artem tornandi speciosissime elaborari, experientia docet, an ergo tornatiles dicendo Mariae manus, eburneas esse, intendit encomiastes Spiritus S.? Mysterium aperit Richardus à S. Laurentio lib. 5. de Laud. B. V. Ars tornandi in continuo motu perficitur, & est omnium artium celerrima, tornatiles itaque vocantur Mariae manus, quia ipsa succurrendo egenorum necessitatibus, in defessa est, benefaciendo hominibus, semper in motu, & pra omnibus Sanctis, ad praestandum miseris mortalibus auxilium, promptissima est, & velocissima. Richardi citati verba recitemus. *Tornatiles dicuntur manus Mariae, quia*

quia sicut ars tornandi promptior est aliis artibus, sic Maria ad benefaciendum promptior omnibus Sanctis. Utinam seruiendo tam prompti essent homines, quam prompta est Maria auxiliando.

CONCEPTUS VII.

Ubera etiam sponsæ hinnulis capræ gemellis comparat sponsus Cant. 4. cap. *Duo ubera tua sicut duo hinnuli capræ gemelli.* Cur hinnulis capræ? Velociter hi currunt, perspicaces sunt, & varietate distincti; Genitricis Dei ubera, quæ maternæ pietatem subventionis designant, hinnulis capræ assimilat Dominus, quia novit ipse, quam acutè necessitates nostras Maria Virgo perspiciat, & quam variis subventionum modis, sine dilatione egenis succurrere contendat. Hinnulos gemellos, gemini Richardi confirmant. *De misericordiâ & pietate Maria dicit ei Filius, ipsam commendauit.* Cant. 4. *Duo ubera sicut duo hinnuli capræ gemelli, qui pascuntur in lilijs &c.* Duo ubera beatae Mariæ Virginis, de quibus velut lac pia subventionis, dulcedo sugitur, sunt affectus pietatis & misericordiæ, qui velut capræ, acuto lumine considerant, quis, & quantâ indigeat ope, & per talem considerationem accurrunt velociter, ut hinnuli, & propter varios subventionum modos, per hinnulos signantur, qui pulchra sunt varietate distincti, scribit Richardus à S. Laurentio, de Laud. B. V. lib. 5. *Merito ergo misericordiæ beatae Virginis cursui hinnulorum comparatur, currit, mundum irrigat, & infundit.* Hinnulorum velocitati comparatur, quia velocius occurrit eju pietas, quam invocetur, & causas miserorum anticipat, interpretatur Richardus de S. Victore, cap. 23. in Cant. quibus succinit laureatus Poëta Baptista Mantuanus, lib. 1. Parthenices Marianæ.

*Ipsa est aduersis commune in rebus asylum,
Ante preces etiam necdum obsecrata favorem
Donat, & ad miseros maternas explicat ulnas.*
CON.

CONCEPTUS VIII.

Moriens in cruce Christus Mariæ Virginis Filius, atq; ibidem Joannem, & in eo totam Christianitatem Matri Auxiliatrici recommendans, illis sponsi Cant. 6. cap. verbis usus fuisse videtur. *Averte oculos tuos à me.* Ergone à Jesu transfixi cordis sui solatio lachrymosos compassionis oculos dolorosa Mater avertet? *Averte oculos tuos à me,* ait Filius crucifixus? Sed quò ò dulcissime animarum sponse! compassivos suos pia Mater oculos impofterum convertet? Ad Joannem, & in eo ad omnes Christianos. *Dicit Matri: Ecce mulier filius tuus.* Joan. 19. cap. quasi diceret: Oculos tuos, ò mulier, erga Filium compassionis lachrymis redundantes, video quidem, sed hora appropinquat, & jam adest, quâ opus redemptionis supplicio mortis consummandum est, hinc amplius materno tuo auxilio mihi præstò esse non poteris, averte igitur oculos tuos à me, ecce filius tuus, ecce Joannem, ecce totam Christianitatem Filii loco, in maternam tuam solitudinem, amorem, curam ac protectionem commendo, in hos converte oculos tuos, & sicut filium suum adjuvat fidelis mater, tuetur, ac protegit, ita Christianis, quos tibi Matri in filios derelinquo, per viscera Filii potenter auxiliare. Conceptus hic est doctissimi Guilielmi Parisiensis Cancellarii, citata sponsi verba interpretantis. *Mulier! ecce Filius tuus, ideo averte oculos à me, & converte eos ad omnes, quos tibi derelinquo, ut eos adjuves, eisque subvenias.* Eandem rationem reddit purpuratus Ecclesiæ Cardinalis Hugo, quare idem Christus Mariam versus inclinato capite tradiderit spiritum. *Ut per Mariam petamus misericordiam, quia ipsa est miraculum misericordiae, certum ac securum auxilium Christianorum.* Pro omni probâ, testimonio, & exemplo deserviat, quòd Christianus non vixerit, neque etiam in futurum vivet, qui non juratum agere testem poterit, quòd in omni ejus necessitate Maria Auxiliatrix fuerit.

rit. loquuntur hoc sine numero pendentes ad Mariam Auxiliatricem, ejusque miraculosas imagines votivæ tabulæ: Catafractos militiæ Christianæ belli duces quæramus, cur illi quasi in omnibus suis vexillis Mariæ imaginem ducant? Respondent, in grati animi signum & memoriam hoc fieri, ut repetitis vicibus per intercessionem Mariæ Auxiliatricis insignes victorias universo orbi deprædicent, seseque ad plures per eam gratias habiles reddant; vix in terris Ecclesiam intrabis, in quâ non unum saltem Dei Genitrici dedicatum altare reperies, quæ omnia aliud non sunt, quàm pro innumerâ ope præstitâ Mariæ Auxiliatricis trophæa & monumenta, de ejus laudibus non nisi ingrati lingua obmutescat, pro devotis interim lætæis verbis perorante Bernardo. serm. 4 de Assumpt. B. V. *Sileat misericordiam tuam, Virgo beata, si quis est, qui invocantem te in necessitatibus suis, sibi meminere defuisse.* O efficacissimum Christianitatis Auxilium!

Epilogus.

Nullus in orbe universo status est, qui Mariæ auxilio non specialiter egeat, pro omni ergò statu Mariam Christianorum Auxiliatricem invocemus, oratione illâ efficaci, quam Christus ipse proprio ore dictavit in regulâ Salvatoris, *Oramus te piissima Virgo Maria, mundi Regina & Angelorum, ut eis, quos purgatorius examinat ignis, impetres refrigerium, peccatoribus indulgentiam, justis in bono perseverantiam, nos quoque fragiles ab instantibus defende periculis.* Amen.

*Munera dat cæli Virgo indefessa fideli,
Mundo per Filium, currit in auxilium.
Felix, qui te piâ veneratur mente Maria!
Nam suffers inopem, fers pia Mater opem.*

